



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

3 De sensu litterali figurato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

nimirum Beatiss. Virgo minime ignara Sathanam, se nonnunquam solere transfigurare in angelum lucis, voluerit expiscari, essetné Spiritus bonus, an malus? Nam cum versata esset in diuinarum litterarū lectione, probè norat satis in illis insinuari, quis futurus esset incarnationis modus, & idcirco, inquit dictus Doct̃or, cogitabat illa secum, si mihi iste modum prodat in diuina scriptura indicatum, iam pro Dei legato illum habebō.

De sensu Litterali figurato.

C A P. III.

SENSUS Litteralis figuratus est, quando voci tribuitur significatio, quæ ex prima origine illi non competit. Exempli causa, nomen LEONIS à prima sua origine usurpatum est ad denotandum animal ferox & siluestre. S. Ioannes vero in sua Apocalypsi, cū ait. *Vicit Leo de tribu Iuda.* usurpauit in significatione impropria ad denotandū Christū resuscitatum. Itaq; sensus litteralis hic non est, qui prima institutione vocis LEO significatur, sed qui metaphorica acceptione designatur, vt sensus sit. **VICIT CHRISTVS de tribu Iuda.**

Apoc. 5.

Neq; ad intelligendā sacram scripturam
parui

parui interest, posse discernere sermonem proprium à figurato, vt docuit nos suo exemplo Samaritana; quæ ignara huius discriminis, simulatque Dominum audiuit dicentem, se posse ei porrigere aquam, quæ sitim perpetuo restinguat, stupore defixa dixit. *Domine, neq; in quo haurias habes: & puteus altus est: Unde ergo habes aquam?* existimans Christum vocem *AQUÆ* in propria significatione vsurpasse.

Ioan. 4.

Imo S. Augustinus alicubi asseuerat periculose errari in diuina scriptura, quando vox propria, accipitur pro translata, vel cōtra: vti faciebant hæretici, qui sensu proprio, non metaphorico exponebant illud dictum Christi apud B. Matthæum. *Et sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum caelorum.* & simul hæc documenta, ad cognoscendum discrimen, subiungit. *Quicquid neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem referri potest, accipiendum est figuratè.* Et paulo post. *Si praeceptiua est scriptura locutio, & videtur iubere flagitium, & virtutem vetare, figuratè accipiendum est. Si autem flagitium vetat, aut beneficentiam iubet, tunc proprie accipienda est.* Exēpli autē loco adducit verba illa Prouerbio-
rū Salomonis. *si esurierit inimicus tuus, ciba.* Prou. 25.

Matt. 19.

Prou. 25.

G 4 illumi

illum: & si sitierit, potum da illi. Sic enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.
 Ac dicit, priora verba. *Si esurierit inimicus tuus, &c.* exponenda in sensu proprio: posteriora vero, *carbones ignis congeres super caput*, in translato. Nemo enim dubitare potest, peccaturū, qui carbones ignitos cōgereret in caput sui inimici. In translato autem sensu verba illa hāc habent subiectam sententiam. Si inimico tuo hoc beneficium prāstiteris, vt cibum porumq̄, necessarium ei subministras, ex vehementia doloris & compunctionis de suo peccato, tantos edet clamores, ac si igniti carbones in caput eius incidissent, & mox conciliabitur tibi, & tu eum lucrifacies Christo Saluatori.

*De nonnullis diuina scriptura
 Figuris.*

C A P. I V.

ETIAMSI quamplurimā in vtraque tam noui, quam veteris testamenti scriptura extent figuræ, adeoque omnes quarum Rhetores in præceptis artis suæ meminerunt, vt allatis exemplis ostendit Ludouicus Carbo in sua Rhetorica diuina, ego tamen paucas tantum quasdā, idque ex Euangelio
 maxi-